



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

V. De potestate iurisdictionis, infra supremam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

CAPVT V.

De potestate iurisdictionis infra supremum.

I. Quid attinet ad inferiores Prælatos sub Generali, dicendum primo est illos participare hanc iurisdictionem & potestatem maiorem, vel minorem, pro ratione sui muneris, & iuxta distributionem seu communicationem a Præposito generali manantem. ita statuitur in §. p. constit. ca. 1. §. 6. vbi de Generali dicitur, suo fungetur officio erga omnia membra Societatis, capitis videlicet, a quo in illam influxus ad præfixum sibi finem necessarius descendat: & sic a generali Præposito ut a capite vniuerso facultas Prouincialium egrediatur, ac per eos ad locales, per hos autem ad singulares personas descendat. Et in §. p. cap. 3. §. 3. de eodem dicitur, Poterit eam facultatem eisdem, scilicet Rectoribus, communicare, quam senserit in Domino conuenire. Et §. 7. Præpositi Prouinciales, aut locales & Rectores, & alij eius commissarii eam partem huius facultatis habebunt, quam ipsi Generalis communicauerit. Idem §. 16. & sæpe alias; quæ omnia in Bullis Pontificiis approbata sunt. Ratio autem huius assertionis ea est, quæ in ipsis constitutionibus insinuat. Nam in primis necessarium est, ut Prælati suam iurisdictionem habeant, sine qua propria munera exercere non possunt; modus autem perfectior, & aptior ad maiorem vñionem religionis, & ad perfectiorem obedientiam est, ut inferiores Prælati habeant illam a suis superioribus, & dependentem ab illis, & quia non debet esse in omnibus æqualis, sed maior in maioribus Prælatibus, ideo recte vniuersumque mensura a superiore præscribitur.

II. Obiectio.

Vna verò superest difficultas, quia sequitur in Prælatibus Societatis infra Generalem constitutis, non esse certam ac definitam iurisdictionem, sed arbitriam iuxta voluntatem Generalis: consequens videtur absurdum, tum quia sequitur Prouinciales, & Rectores non habere iurisdictionem ordinariam, sed tantum delegatam; atque ita non esse veros Prælatos, nec posse subdelegare, nisi quatenus hoc est in commissione sibi facta expressum. Sequela patet, quia iurdictio, quæ non obtinetur, ex præscripta lege, non est ordinaria, iuxta glossam in cap. cum ab Ecclesiis de officio ordinarij. verb. Ecclesiastica sententia addita doctrina Innocentij ibidem numero. Tum etiam, quia res adeo grauis non videtur committenda arbitrio & voluntati alicuius, quia potest esse occasio dissensionum, & acceptationum personarum, & frequentium mutationum in regimine, quod debet esse stabile, & certum. Et confirmatur, nam ex dicta assertionem sequitur Prouinciales & Rectores Societatis nihil posse nisi quod eis expresse concessum est, & consequenter si occurrat casus, eis quidem non expresse concessus, neque etiam denegatus, sed omissus, non habere iurisdictionem in illo, sed debere ad Generalem recurrere. Consequens autem durum est, nam & est præter communem consuetudinem talium Prælatorum, & est nimia restrictio perplexitatibus & difficultatibus expolita: conuenientius enim videtur, ut quidquid eis non prohibetur, censeatur concessum, nam facilis est præscribere, quæ prohibentur, quam quæ conceduntur, cum infinita varietas rerum & casuum in huiusmodi gubernatione possit occurrere.

III.

Respondetur in primis certum esse Prouinciales & Præpositos locales, seu Rectores Societatis habere iurisdictionem ordinariam, & non tantum delegatam. Probatur, quia sunt ordinarij pastores ac veri Prælati, ut constat ex iure communi religionum supra adducto in tract. 8. quod Societati commune est, quoad hanc partem. Idem patet ex constitutio-

nibus, in quibus hæc munera vocantur prælationes, & dignitates Societatis, & hæc intelliguntur comprehendi in voto, quod profecti emittunt, non prætendendi prælationem, aut dignitatem in Societate 10. p. constit. §. 6. de qua re lib. 4. c. 7. a. n. 13. Non est autem vera prælatio, nisi iurisdictionem habeat ordinariam. In hac porro iurisdictione duo considerari possunt, scilicet substantia eius, ut sic dicam, & quantitas: simpliciter ergo habere iurisdictionem intrinsecum est his muneribus, & hoc satis est, ut talis iurdictio ordinaria sit. Vnde non solum non potest Generalis tollere a Prouinciali, vel Rectore iurisdictionem absolutam, imo hoc repugnantiam inuoluit, quia de intrinseca ratione talium munerum est iurdictio: verum etiam nec potest facere, ut Societas sine propriis Prouincialibus & Prælatibus localibus gubernetur, quia hoc pertinet ad primariam institutionem huius religionis, quam ipse immutare non potest. Solum ergo quoad quantitatem, seu extensionem iurisdictionis pendet hi Prælati a Generali, quod non repugnat ordinariæ iurisdictioni: nam hoc ferè modo pendet Episcopi a Papa, & multo magis legati, qui tamen ordinariam iurisdictionem habent, vnde etiam in 4. Congreg. generali decret. 28. sancitum legitur posse P. Generalem delegare vice præpositum domus Romanæ, cum ordinaria potestate.

Sed in hoc etiam addendum est, aliquam esse quantitatem huius iurisdictionis, ex natura rei necessario coniunctam cum tali munere, ut est illa, in qua moraliter ac debito modo fieri non potest. Deinde vniuersumque ex his Prælatibus habet in Societate proprias regulas & constitutiones ad illi pertinentes, in quibus potestas suo muneri attributa declaratur, & illa censeri debet potestas ordinariæ, quia iam est certa lege præscripta, & adiuncta tali muneri. Similiter in Compendio priuilegiarum declaratae sunt facultates omnes ad dispensandum, vel absoluendum, vel ad alias gratias concedendas illis commissæ, ut in officio Prouincialis adnotatur regula 8. & in officio Præpositi reg. 13. & Rectoris 11. Quod si præter has voluerit Generalis plures potestates concedere, vel omnibus vel aliquibus Prælatibus inferioribus, illæ reuera erunt tantum delegatae.

Ad difficultatem ergo respondetur iurisdictionem horum Prælatorum dupliciter dici posse arbitriam respectu Generalis: vno modo, quia non est certa lege definita, ac debita, vel quia sine causa auferri potest, etiam quantum ad eam partem, quæ ex vi muneris comparatur; & sic falsum est, ut patet ex dictis: vnde responsio in forma erit; negando in hoc sensu primam sequelam. Secundo dici potest arbitria, quia semper pendet ex voluntate Generalis, qui ex causa potest illam restringere, & ex gratia potest illam augere; & hoc est quod constitutiones intendunt; & inde non fit talem iurisdictionem non esse ordinariam, ut declaratum est. Neque hoc habet vllum inconueniens, sed ad debitam subordinationem expedit, nec propterea numeri possunt frequentes, aut indebitæ mutationes, cum ea, quæ ad ordinariū regimen necessaria sunt, certis legibus sint definita: quæ non facili, nec sine graui causa mutari debent. Quæ vero extraordinaria sunt, vel ad specialem fauorem pertinent, ratio postulat, ut pendean ex suprema potestate gubernatoris.

Ad vltimam confirmationem fatemur in Societate ad cognoscendam vniuersumque Prælati facultatem, utendum potius esse affirmatiua, quam negatiua regula, id est, id vnumquemque posse, quod sibi est concessum; non verò quidquid libi non est prohibitum: vnde in citatis regulis Præpositi, & Rectores.

Reſtoris dicitur, quas habeat facultates, partim ex his, quæ ipſi in his regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis intelligat: vt in his, quas non habet, ſciat ad ſuperiorem recurrere. Neq; hinc ſequi poteſt aliqua perplexitas, vel difficultas, quin potius vniciue magis clara & nota erit poteſtas, quam habet, & alioqui poteſtas ipſa ſatis eſt ampla, & facultates non dantur ad ſingulares caſus, ſed per generales regulas ſufficientes, & ſpecialiter in regulis Prouincialis. n. 7. & cum proportionem in regulis Præpoſiti. nu. 11. & Reſtoris nu. 10. aduertitur vbi neceſſaria fuerit diſpenſatio conſtitutionum, in grauioribus caſibus recurrendum eſſe ad ſuperiorem Prælaturam, quod eſt iuri communi conſentaneum, c. ſin. de officio Archiepſcopi. ad iuncta gloſſ. verb. Reſtorat. & cap. maiores de Baptiſmo. Et nihilominus additur, vt ſi abſque graui incommodo non poſſit Generalis reſpoſum expectari, poſſit Prouincialis diſpenſare, & poſtea rationem totius rei reddere Generali, idemque cum proportionem de inferioribus reſpectu Prouincialis, & ita omnibus incommodis ſufficienter eſt prouiſum.

VII. Secundo dicendum eſt poteſtatem hanc Prælatorum Societatis extendi ad omnes religioſos eius, & ad omnes actus, ſeu materias ad quas religioſa iurisdictio, ſive communi iure, ſive per priuilegia communia, aut ſpecialia hæcenus conceſſa extenditur. Prior pars quoad profeſſos, ſive quatuor, ſive trium votorum extra controuerſiam eſt; quoad reliquos verò religioſos, qui per ſimplicia tantum vota incorporati ſunt, ſuit in dubium reuocata, vt latius dictum eſt lib. 3. à principio vſque ad cap. 4. exiſtimarunt enim aliqui, iurisditionem religioſam fundari neceſſario in profeſſione per vota ſolennia, & ideo dixerunt Societatem nullum in eos ius habere, nec Poſtremo ex vi votorum huiusmodi potuiſſe illud conferre, ac proinde ordinariarum iurisditioni ſubditos exiſtere, ita refert Gregorius XIII. Pontifex in conſtitutione, *Ascendente Domino*. Veruntamen quatenus hæc ſententia poteſtatem Pontifici negat, eſt error in fide; quia certum eſt Pontificem poſſe ſub protectione, & iurisditione ſua ſuſcipere quamlibet perſonam Deo ſpecialiter conſecratam, modo ab Apoſtolica Sede approbato. Item aliis non potuiſſet Pontifex eximere clericos tantum per primam tonſuram initiatos, quia illa cæremonia tantum eſt per Eccleſiam inſtituta. Item nõ potuiſſet priuilegium canonis vel fori ad nouitios extendere, quæ omnia & ſimilia ſunt contra receptum vſum Eccleſiæ, & contra ſupremam poteſtatem, quam Pontifex habet in ordine ad ſpiritualia.

2. Aſſertio bi. membrum.

3. Membrum oſtenditur.

Exponit ſententia circa 1. membrum. aſſertio in ſingulis.

VIII. Oſtenditur veritas aſſertionis ex Pontif.

Confirmatur.

Quatenus verò illa ſententia de facto loquitur, aut procedit ex prædicto errore, aut ex clara ignorantia iuris proprii Societatis, de quo ſine illius notitia loqui non deberet. Itaque expreſſe ſunt in hoc conceſſiones, & declarationes Pontificum Pauli III. Iulij III. Pij V. & Gregorij XIII. ac Gregorij XIV. Qui dum Societatem eximunt, & ſub protectione ſua illam ſpecialiter ſuſcipiunt, de tota Societate loquuntur, vt omnes ſuos ac veros religioſos complectitur, ſeu ex illis conſtat. Vnde interdum de ſocijs, interdum de his, qui ſub obedientia Præpoſiti militant, interdum denique de religioſis Societatis loquuntur, ergo extendunt hanc iurisditionem ad omnes etiam ſcholares, quia illi ſunt veri religioſi, vt ſuprà eſt oſtenſum, veraque membra Societatis. Confirmatur, quia quicumque ex his religioſis, ſi apoſtaret à Societate, poteſt ab eadem compelli, tum per cenſuras, tum per violentam detentionem, & incarcerationem, vt conſtat ex eiſdem Bullis, præſertim Pat. II. & Gregorij XIII. ac Pij V. nec ſolum per ſola ſpecialia priuilegia Societatis, ſed etiam per alia conceſſa mendicantibus, circa ſuos religioſos pro-

Franc. Suar. de ſtatu relig. Tom. IV.

feſſos poteſt illos cogere & punire iuxta conceſſionem & communicationem Societati factam à Pio V. cum ſpeciali declaratione, quod ad omnes etiam ſcholares extendatur. Quæ omnia & alia in Compendio Societatis verb. *Apoſtata*, late referuntur. Comprehenduntur ergo hi omnes ſub iurisditione Societatis.

Dicendum verò ſupererat de nouitijs, ſed de his eadem eſt ratio Societatis, quæ aliarum religionum: non enim habet in illos propriam iurisditionem inuoluntariam (vt vocant) id eſt, directiuam, qua poſſit eos ſpecialiter obligare in conſcientia, vel coactiuam, qua poſſit eos ſimpliciter repugnantes cogere, quia obedientiam non vouerunt, vel ſi fortaſſe eam particulari affectu promiſerunt, Societas illam non acceptauit, neque illos ſibi incorporauit. Quoad iurisditionem autem voluntariam ſubduntur aliquo modo Societati, & ſunt capaces gratiarum ſpiritualium, quas Præpoſitus Generalis ſecundum conceſſionem Sedis Apoſtolice poteſt in Societate concedere, vt dicitur in 5. part. conſtit. cap. 1. lit. A. exiſtimoque quoties in Bullis, ſeu priuilegijs ſit conceſſio in ordine ad omnes, qui ſub obedientia Societatis viuunt, comprehendunt etiam nouitios; cuius exemplum clarum eſt in Bulla vltima Pauli III. de gratijs & facultatibus, & habetur etiam in Compendio, verbo, *Diſpenſatio*. §. 1. Et ratio eſt, quia etiam nouitij viuunt proprie ſub obedientia Societatis, etiam ſi non ſub obligatione voti, præſertim cum fauores ampliandi ſint. de reſeruatjs quoad nouitios, tract. S. I. 2. c. 17. à nu. 11. ſatis dictum eſt.

Altera pars aſſertionis certa eſt. Nam inprimis Prælati Societatis habent omnem poteſtatē, quaſi Episcopalem, quam habent cæteri Prælati religionum in vtroque foro; imò per ſe poſſunt quidquid Episcopum poſſunt in clericis & laicis ſibi ſubiectos, tam quoad facultatem abſoluendi & diſpenſandi in irregularitatibus, de quibus in Concilio. Trid. ſeſſ. 24. ca. 6. quàm alias quaſcunque facultates, vt habetur in Compendio Societatis, verbo *Prælatus*, §. 3. quamuis hanc gratiam non participant inferiores Prælati, niſi iuxta conceſſionem Generalis: nunc autem indefinitè de Prælatis loquimur. Deinde per communicationem facultatum, & gratiarum factā à Pio V. poſſunt Prælati Societatis æquè principaliter quidquid poſſunt Prælati mendicantium per ſua propria priuilegia, vel per communicationem aliorum, vt in Compendio Societatis late continetur verbo, *Communicatio*. §. 2. & ſequentibus, & ſpecialiter §. 5. declaratur hanc communicationem, etiam nouitijs fieri poſſe; quod intelligitur quoad gratiarum conceſſionem, non quoad rigorofam iurisditionem, vt iam diximus. Denique ſimilem generalem conceſſionem fecit Societati Gregorius XIV. his verbis; *quoniam etiam omnes facultates, omnemque iurisditionem, quoad ſubditorum punitionem, & correctionem pertinet, quibuscumque ordinibus eorumque generalibus hæcenus conceſſas, non ad inſtar ſed æquè principaliter ipſi Societati eiusque Præpoſito Generali concedimus & elargimur*. Præter hæc habet Societas plures facultates ſibi ſpecialiter factas, vt ex eius Bullis, & Compendio priuilegiarum conſtat; poteſtas autem per eas collata præcipuè reſidet in Præpoſito generali, per quem inferioribus Prælatis communicatur. Eſt ergo in Societate, & in Prælatis eius reſpectiuè tota poteſtas, & iurisdictio, quæ in religioſo ſtatu inuenitur, & ſecundum ordinariarum modum Pontificiæ prouidentie inueniri poteſt: ſemper tamen intelligendum eſt, habere hanc iurisditionem ſuo inſtituto accommodatam, nam Prælatus eius nihil contra inſtitutum agere poſſunt (excepta iuſta diſpenſatione quæ dici non poteſt contra inſtitutum) & ideo quoad aliquos actus iurisditionem non habent, quæ fortaſſe

IX.

Quoniam hæc membrum aſſertionis procedat de nouitijs.

X.

2. Membrum aſſertionis declaratur.

Limitatio proximè dictorum.

M m m 3

habent

habent alia religiones, vt ad dandam facultatem recipiendi elemosynam pro spirituali ministerio, vel quippiam simile: sicut etiam è contrario aliqui sunt actus iurisdictionis huic instituto accommodati, qui in aliis religionibus non exercentur, vt est expellere aliquem votis expeditum.

XI. Non cenſeo autem neceſſarium explicare in particulari, poteſtates omnes, quas ratione huius iurisdictionis Societas habet; quia de his, quæ generales ſunt, vel in quibus cum aliis religionibus Societas communicat, in tract. 8. lib. 2. ſufficienter tracta ſunt, quæ verò ſunt propriæ, in Compendio Priuilegiatorum, & in conſtitutionibus ac regulis ſufficienter declarantur, & in ſequentibus capitulis nonnulla attingemus, explicando magis in particulari vſum huius iurisdictionis; ex dictis etiam in l. 1. c. 3. & latius l. 8. de medijs, quibus Societas vtitur, ad proſectum ſuorum ſubditorum, conſtat hanc iurisdictionem eſſe plenam in foro poenitentia, & in foro etiam exteriori quoad poteſtatem directiuam per leges & præcepta, & per coerciuam, quoad correptionem ſecundum regulam, etiam remota appellatione, & quoad poteſtatem diſpenſandi in his, quæ neceſſaria ſunt. Ac denique quoad alia multa, de quibus latè in Bulla 5. Pauli III. 2. Iulij III. 3. Pij V. & ſerè in omnibus Gregorij XIII. Supererat hoc loco dicendum de poteſtate adminiſtrationis bonorum temporalium, id tamen opportunè factum eſt in tract. 8. qui eſt primus huius voluminis l. 2. c. 28.

CAPVT VI.

An Societatis Prælati ad particulare ſubditorum regimen, merito ab illis exigunt rationem conſcientia.

I. *De quibus regendum in reliquo libro* Post explicationem vniuerſalis regiminis in Societate, dicendum ſequitur de particulari ſubditorum gubernatione, quod ad finem vſque præſentis lib. proſequemur. Id verò præcipuè inſtituimus ad ſatiſfaciendum difficultatibus, quas aliqui obijciunt, quæ fortalſe magis ex ignorantia facti, quàm iuris procedunt, & ideo non deſcendam in particulari ad omnia, quæ circa gubernandos ſubditos in Societate peraguntur, ſed ſolum ad ea in quib. prædicta difficultas poterit inueniri. Quia verò ordinarium hoc regimen ſemper eſt ſecundum regulam, ſimul illius rationem reddemus vbi oportebit, & huius occasione breuem quandam notitiam totius regulæ, in poſtremo capite ſummatim attingemus. Vt autem rem totam comprehendamus, nec tractata repetamus, tria breuiter ſunt, in quibus totum hoc particulare regimen conſiſtit. Primum eſt receptio perſonarum. Secundum conſeruatio earundem & prouidentia circa illas. Tertium dimiſſio earum, ſi neceſſaria fuerit. De primo membro ſatis dictum eſt à nobis in l. 2. & de tertio in l. 3. c. 9. Tantum igitur ſuper eſt vt de ſecundo membro dicamus, circa quod duo neceſſaria ad huiusmodi gubernationem & prouidentiam diſtinguere oportet iuxta duplicem poteſtatem in Prælato neceſſariam, directiuam, & coerciuam. Quædam enim pars regiminis conſiſtit in debita directione per præcepta & conſilia (ad quam rem etiam ſpectat conueniens diſtributio onerum, & honorum) altera verò pars poſita eſt in debita correptione & iuſta punitione; de his ergo breuiter dicendum eſt.

II. Vt verò primæ parti ſatiſfacere incipiamus, à ratione conſcientia ordiemur. Per rationem autem conſcientia, intelligimus manifeſtationem ſtatus conſcientia propriæ, quam ſubditus facit ſuperiori, vt ab eo intimè cognoscat, tam in moribus, quàm

in affectibus vel propenſionibus ſuis, ex qua vocis interpretatione, ſtatim oritur dubitandi ratio, quia hæc manifeſtatio ſuperiori faciendâ eſt, in conſeſſione ſacramentali, vel extra illam. Primum dicendum ſuperiori, & conſeſſio ſacramentalis ordinaretur ad exteriorem gubernationem, quæ duo abſurda ſunt, & ideo ſupra oſtendimus, eſſe aliena ab inſtituto Societatis: ſecundum autem, & videtur nimis durum ſubditis, & parum vtile Prælatis ad gubernationem. Primum incommodum patet, quia aperire ſuos deſectus, & ſecreta cordis, extra ſigillum conſeſſionis, diſſicillimum eſt, tum propter infamationem ſui erga ipſummet Prælatum, tum propter periculum, ne Prælatus id alijs manifeſtet, vel bono zelo, & non ſecundum ſcientiam, vel per negligentiam aliquam, ſeu inaduertentiam, aut certè interdum per emulationem, inuidiam, vindictam, aut alium ſimilem affectum, tum denique propter alia incommoda, quibus exponitur ſubditus, ita ſe manifeſtando Prælatus ſuis quia ob eam cauſam poterit, vel remoueri ab officijs, vel loco mutari, vel alijs ſimilibus modis male tractari; & ideo videtur hic habere locum conſilium Chryſoſtomi hom. 31. ad Hebr. Non dico tibi vt reprobas, neque apud alium accuſes. Et augetur difficultas ſeu incommodum; primò quia hæc manifeſtatio vni tantum Prælato eſſet faciendâ, cum illo ſolo eſſet ſemper continuanda, ſaltem pro tempore vitæ eius, eſſet res vtrunque tolerabilis, tamen hoc in Societate non ſufficit, quia hæc ratio conſcientia, non ſoli Generali reddenda eſt; imò pauci ſunt, qui in præſentia poſſint id facere: ab accuſantibus autem, & perſcriptum nec ſit; nec ordinariè fieri expedit. Imò nec ſoli Provinciali fieri debet, quia non minus indiget illa notitia, qui proximè gubernant: oportebit ergo pluribus ſuperioribus ſe manifeſtare etiam pro eodem tempore. Augetur ſecundò idem incommodum, nam qui ſuperiores ſunt, breui tempore mutantur, & ipſi etiam ſubditi, ab vna domo aliam facile tranſmutantur, atque ita neceſſarium erit vnicuique ſubdito paulatim, ſeu ſucceſſiuè, ſe manifeſtare plurimis Prælatis, & fortalſe intra paucos annos ſe manifeſtare ſerè omnibus grauioribus patribus prouinciæ; quod certè eſt aſperum ac diſſicile. Deinde ſecundum incommodum declaratur, quia teſtimonium hominis in re propria non eſt tanta fide dignum, vt poſſit Prælatus in eo niti ad gubernandum ſubditum, aut enim debet illi credere, tam bene, quam malè de ſe loquenti, & ſic facile poterit ab eo decipi, quia vnusquisque bene de ſe ſentit, & loquitur, imò licet non ſentiat, frequentius diſſimulat, aut mentitur: vel ſaltem deſectus extenuat, & bona exaggerat: vel ſuperior debet credere mala, & non bona, & in hoc iniuriam faceret ipſis ſubditis, & vix poſſet eos commodè gubernare, aut eis vt ad aliqua miniſteria, quia de omnibus haberet minus bonam exiſtimationem quam par eſſet.

Quid circa rationem conſcientia in Societate ſtatutum ſit.

Circa præſentem difficultatem, puncta quatuor explicanda ſunt: primo quid in hoc Societate obſeruet ſecundum ſuam regulam, ſecundo quam ſit hoc conſentaneum antiquitati religionis, & profeſſioni perfectionis: tertio ad quod ſecretum inde Prælatus obligetur, quarto denique ad quem finem & vſum hæc notitia ordinetur, & à ſuperiori applicari poſſit: ex quibus etiam conſtabit, quantum diſſeratur hæc ratio conſcientia à conſeſſione ſacramentali, & ſoluentur rationes dubitandi. Circa primum regula Societatis eſt, vt ſtatim ab ipſo ingreſſu in ſocietatem omnia